

157.

Schiffen.

157.



V

0011

(alt Nr. 393.)

Sammelband von 57 Schriften Theol.,
philos. u. jurist. Inhalts.
von Meier, J. Th.

P. VII. 89.



APHORISMI THEOLOGICI

DE

JURE VOCANDI
MINISTROS IN EC-
CLESIAM
DEI,

Nec non inspecie

De

Divino Divini Lutheri Ministerio

Reliquorumve succedentium Ministrorum

Evangelicorum:

*Contra vero de modernorum Romanensium vocatione
indebita partim, partim depravata*

Plurimum Reverendis DN. Pastoribus dilectisq; in Chri-
sto Confratribus in Diocesi Eglana

*ad amicam disquisitionem in proximè futuro collegiali
congressu dati ac exhibiti*

à

M. MATTHIA CLEFFELIO,

Substituto Pastore Egl.

&

CHRISTOPHORO HÜNERBEINIO,

Pastore minoris Alslebij.

Ad diem Junij

Anno 1670.

Quedlinburgi, Typis Johannis Oekelii,

VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, AC
CONSULTISSIMO.

DN.

JOHANNIFRIDERICO
à PEINE,

Potentissimi ac Serenissimi Ele-
ctoris Brandenburgici in re bellica Consiliario ac
Commisario gravissimo in ducatu
Halberstadensi.


*Mecanati ac Patrono suo ob singularia
merita*

Singulari amoris atque observantiae
cultu vitam prosequendo ac
suscipiendo

In gratia mentis professionem
muncupat ac offert

Theses has disputatorias

M. Matthias Cleffelius.



DOMA.

§ 1.



Uemadmodum in Republica civili aliisque statibus humanis ad functionem publicam haud ulli accedere licet nisi vocato : Ita nec praesertim in Republica Dei.

§ 2. In qua quantae necessitatis praevia divina vocatio sit , apparet ex eo quod omnes illos scriptura Fures ac rapaces Lupos pronunciet , qui non vocati in ecclesiastica munia irruunt.

§ 3. Recte igitur ex hoc fundamento Ecclesiae nostrae contra Socinianos Anabaptistas aliosque fanaticos magno consensu docent : *Quod nemo d. beat in Ecclesia publice docere, aut sacramenta administrare nisi vi. è vocatus* vide August: Conf: (a) Chemnit: (b) & Gerhard: (c)

(a) Art. 24. de ord Eco-
cl. p. 130
(b) Part. 30
Locor
Theol. de
Eccl. e. 4.
(c) Tom. 63
de minis-
Eccl. § 51.
64.

§ 4. Cum autem vocatio in Ecclesia Dei necessaria adeo sit, quid per vocationem denotetur attendendum hic probè est : scilicet est vocatio secundum se spectata nihil aliud, quam missio alicuius personae ad docendum verbum & administranda sacramenta facta ab eo, cui mittendi jus convenit.

§ 5. Ex quo perspicere datur, vocandi jus hic precipuè respiciendum, ex eoque dijudicandam omnem vocationem quod ipsum jus cum duplici imprimis possit exerceri modo : Uno, quo immediate ille mittit aut vocat penes quem hoc jus per se & ex natura est : Altero, quo is saltem mittit alius cujusdam interventu ; hinc duplex etiam vocatio enascitur, immediata ac mediata,

A 2

§ 6. Im-



§ 6. Immediata est, quæ fit ἀμεσως ab ipso Deo, ut pote cui jus vocandi per se & ἀυτονομία τοῦ κληρῆως competit. Sicut enim Ecclesia filia Dei unice est: Ita etiam solus Deus Dominium in eam, adeoque etiam jus vocandi ministros solus per naturam tenet vide *Gerhard*, (a) verum tamen cum in propria persona hoc suum jus Deus non semper exequatur, collative tribuit aliis.

(a) Tom. 6.
Loc. theol.
de ministr.
Eccles. c. 3.
§ 49.

§ 7. Cuiam autem in novo T. vocandi jus à Deo delegatum primò fit, ex ore Salvatoris nostri constat omnium optime, quippe qui Matth. 16. v. 19. in Persona Petri Ecclesiae, teste *Augustino*, (b) hoc defert & cap. 18. v. 18. expresse id universae Ecclesiae tradit, quod de pluribus *Hannius* (c) *Marcus Anton: de Dominis* (d) ipsi semper Archiepiscopus pontificius, *Meiss.* (e) *Gisen* (f) & *Cham.* (g)

(b) In Joh.
tractat. 50.
& 124.
(c) Tom. 2.
operum lat.
tin.
[d] De Re.
publ. Eccl.
l. c. 6. & 7.
§ 2. & l. 4.
c. 16. § 8. & 9.
(e) Disput.
4. Schol. a.
cadem. p.
342. 347.
(f) In Pa.
pism. disput.
14. thes. 23.
& seqq. p.
197.
(g) Tom. 2.
panstrat. l.
II. c. 10 § 1.
& 3. p. 205.
[h] In dog.
mat. papal.
Disp. 8. de
Eccles. mi.
litantis
membris.
Th. 4.

§ 8. Quod ergo jus vi ac tenore horum verborum tota Ecclesia consecuta est, hoc rite etiam tota postmodum exercuit attestante Scriptura tum exemplo. 7. Diaconorum electorum Act. 6. v. 5. tum Pauli ac Barnabae diligentium Act. 14. v. 13. debetur que hoc jus hodie enum tota Ecclesiae: Nam recte ait *Gerhard* (h) omnes Ecclesiae ordines cum iangis ministros orthodoxos constitui, omnium quoque consensu peragenda ministrorum vocatio est.

§ 9. Afferuimus jus vocandi esse penes integram Ecclesiam, quia vero Ecclesia ex diversis iisque potissimum tribus hominum statibus constat, clerico nempe, politico & oeconomico ipsum etiam jus constituendi ministros Evangelij ita penes totam Ecclesiam est, ut unicuique parti relinquatur, quod sibi convenit.

§ 10. Et quidem ministerium, ceu proprium, sibi vindicat examen, ordinationem & investituram: Christianus

MUS.

mus magistratus nominationem, praesentationem & confirmationem: populo autem competit consensus, suffragium & approbatio, quandoque etiam postulatio id quod adstruunt *Gerhard* (a) & *Himmel* (b) Haec distincta officia à quolibet ordine distinctè sunt exercenda, ne in electione ministri confusio oriatur; quomvis hodie etiam nominatio in aliquibus rebus publicis sit penes ministerium, in nonnullis penes magistratus docente *Himmel* (c)

(a) Tom. 6.
Loc. Theol.
§ 97. & in
dogmat.
papal. disp.
8.

(b) In syn-
tagm. Theol.
ol disp. 27.

§ 29. 30.
[c] l. c. § 34.

§ 11. Nectamen ut hoc ipso suum ex natura debitum jus ulli Ecclesiae parti praeripiatur quippe quod sponte communicavit saltim alteri, etenim ut in civilibus jus constituendi magistratum, quod ex natura sua ad integram communitatem spectat, quandoque consuevit ad certam populi partem transferri, v. g. ad divites, ad optimates; ita & integrum Ecclesiae est interventu alicujus patris aut aliis de causis hoc sibi competens jus, certo cuidam ordini l. certis personis tribuere. Atque hinc est quod hodie jus praesentandi, vocandi, eligendi sit modo penes hunc, modo penes alium.

§ 12. Licet igitur Electio ministrorum in Ecclesia quadam v. c. pontificia sit, ac diu etiam fuerit penes solos Episcopos, id ipsis tamen tantum de jure positivo convenit, imò totum ex accidenti est, ex populi nimirum consensu, qui jus suum liberè in Episcopos causarum quarundam intuitu transtulit.

§ 13. Concessum Thesi undecimae fuit populi communitatem posse praesentandi ac elegendi jura certis quibusdam personis tribuere, valet tamen saltim cum restrictione: Nisi hoc ipsi Ecclesiae cedat in praesudicium: Si enim ob merita temporalia jus vocandi ac eligendi Pastorem populus in homines sectae haereticæ



reticæ transferre aufit, periculum est ne vocent talem qui vel heresi suæ suaviter blandiatur vel in demandatâ functione rerum suarum omninò satagere nequeat.

§ 14. His itaque ex Theſi tertiâ ordine deductis colligi jam potest, quid ad vocationem legitimam requiratur, hoc scilicet ut ab eo alicui demandetur munus, docendi verbum & administrandi Sacramenta, penesquem jus vocandi ex divinâ concessione est: Hoc unicum si modò adsit, vocationem reddit essentialiter legitimam.

§ 15. Statuimus notanter: Missionem à Deo tantum esse de essentia vocationis legitimæ, Quoad hanc igitur ministri electio solum est juris divini, adeoque omnimodæ necessitatis ut hodie sunt constitutiones & Actus Ecclesiastici. Reliqua quæ temporis progressu superaddi consueverunt, jure tantum humano valet, iisque præcis adhuc valida est vocatio.

§ 16. Quandoquidem ut Ceremoniæ in Electione Magistratus Civilis variant pro diversitate rerum publicarum ita & in diversis Ecclesiis varii utiles sanciri possunt ritus, ita tamen ut his ipsis libertas alterius Ecclesiæ non prematur.

§ 17. Ex quo consequitur non esse illegitimam eam vocationem, quæ non instituitur ad formam juris Canonici, præsertim cum Canones ejus non tam attingant vocationem secundum se, quam quod determinent eam ad certum aliquem modum, quæ determinatio non nisi juris humani est.

§ 18. Quare tantum abest, ut hodie necessarium sit juxta sancita Ecclesiæ Romanæ eligere ministrum, ut potius sine his purior & Apostolorum ordinatio-
ni

ni conformior fiat vocatio , Ex quo enim tempore Clerici ac Episcopi jus vocandi ac eligendi suum fecerunt , (quod imprimis seculo 12. factum , quo Innocentius secundus à solis Clericis Romanus Pontifex est electus) paulatim alios atque alios adjecerunt ritus , equibus quosdam superfluos , quosdam inutiles , quosdam plane superstitiosos ac noxios esse citra injuriam dices.

§ 19. Veruntamen sicut aurum aliis impurioribus metallis immersum , in se manet aurum , ita & ministerium in Romanâ Ecclesiâ non desinit esse ministerium etiamsi immersum sit variis additamentis humanis , unde sicut is qui impurum aurum purgat , hoc ipso non destruit aut perdit illud , sed pretiosius potius reddit , ita nec Lutherani corrumpunt , sed perficiunt potius Presbyterium , dum purgant istud à Pontificiorum scorijs.

§ 20. Quia imò aut alio more ac ritu , quam hactenus consuevit Romana Ecclesia licet constituere , ministros Ecclesiæ , aut Apostolorum ministerium erit prorsus invalidum ,

§ 21. Cæterum quia de Ecclesiasticis Constitutionibus , quæ essentiam vocationis legitimæ nec ingrediuntur nec labefactare queunt , dicere capimus monendum etiam de ritu ordinationis , hîc est quod non sit omnimodè necessarius : Ordinatione enim minister non vocatur , sed vocatus ac jam tum electus publicè saltim declaratur ; unde tenemus , ordinationem ab ipsâ vocationis essentiâ excludi fuisseq; initio Ceremoniam liberam , piam tamen ac perquam utilem , quæ nunquam temerè omittenda est , cumque hæc consuetudo temporum defluxu in legem abierit,

abierit, pronunciamus illam hodie de lege positivâ
ac x̄a]ā]i necessariam vide *Baldwin: (a) & Chytr: (b)*

(a) In refertō
Card. Paz-
mam: in
Hodeg.

(b) In Ex-
ord. 6. 29.

§ 23. Jam si ordinationis actus simpliciter necessa-
rius non est, vel ipsa ejus absentia ministrorum vocati-
onem vitiosam reddere nequit, nedum ut hoc irritam
eam reddat, si ordinatio ab Episcopo non sit peracta.
Sane si ordinatio secundum se juris divini non est sequitur
quod nec administratio ejus ad solos Episcopos de jure di-
vino sit restricta, adeoq; Ecclesiæ integrum sit ordinatio-
nem quandoque per Presbyteros peragere.

§ 24. Etenim quodnam jus de lege divina debe-
tur Episcopo pro Presbytero. Gradus ac ordines of-
ficiorum ministerii liberi erant in primitiva Ecclesiâ
discrepantes, pro ratione Circumstantiarum, cujus-
que Ecclesiæ, quin sæpius unus ac idem omnia illa
officia quæ administratum pertinent exequebatur, Teste
Hieron: (c) & Chem: [d]

[c] In epist.
ad Helio-
dor. & in
Comm. in
Epist Pauli
adrimoth.
& Tit.

(d) Part. 20
Exam. Cō-
cil Trid in
can. 2. de
sacr. ord.

§ 25. Unde licet à primis Apostolorum temporibus
prostant exempla, quibus alia munia in nonnullis Ec-
clesiis sustinisset Episcopus, alia Presbyter: Nulla ta-
men necessitas juris divini inde enasceretur, sed di-
ceremus rectè cum Hieronimo: *Sicut Presbyteri sci-
unt se ex Ecclesia constitutione ei, qui sibi propositus fa-
ciat, esse subiectos. Ita Episcopi noverint, se magis con-
suetudine, quam dispositionis nominis veritate Presbye-
ris esse majores, & in commune Ecclesiam debere ro-
gere.*

§ 26. Qua propter ut nunc paucis universam rem
complectamur: Omnis illa vocatio divina censenda est,
quæ vel ab universa Ecclesia aut ejus nomine eo modo,
quo Deus voluit, peragitur, quicquid etiam sit de aliis u-
na cum tempore additis ritibus. Unde verus ac sincerus
Dei

Dei minister omnis ille est, qui non usurpat sibi et ipsi
iēgyptiac honorem sed intrat Ecclesiam à Deo vocatus, ut
spectet ad ipsum, quod scriptum est Esa: 59. *Verba mea qua
posui in ore tuo, & 2. Cor: 5. Posuit in nobis Deus Ver-
bum reconciliationis, loco Christi legatione fungimur Deo
exhortante per nos. Qui vos audit, me audit. Joh. 20.*
Sunt verba Chemnitij. (a)

§ 27. Sic in genere declarata naturâ vocationis legitimæ
liquet iudicium de vocatione Lutheri reliquorumvè suc-
cedentium ministrorum Evangelicorum.

(a) Part. 2d
Exam.
Conc. Trid.
de sacr.
ord. in Ca-
non. 7. & 8.

§ 28. Scilicet ut per hoc differat vocatio vera à falsa,
quod illa proficiatur ab eo cui jus vocandi ritè com-
pedit: Hæc verò non item; ita hinc omnibus perspi-
cere datur, quantum sit discrimen inter ministerium Lu-
theri & inter Anabaptistarum aliorumque Sectariorum
factiones: Hi quippe prædicandi licentiam sibi metipsis
à fanatico suo spiritu sumpserunt: Ille verò ex obedi-
entia erga superiores demum oblata Ecclesiæ mûnia in
se recepit.

§ 29. Quare se valde hospites in scriptis Lutheri pro-
dunt, qui proprio motu ipsum ad doctrinam suam ra-
ptum fuisse blaterant: Siquidem divinus ille Vir, non
erat tam levis ac temerariæ mentis homo, sed in foro Ec-
clesiæ nihil urgebat vocatione legitima vehementius, un-
de tritissimum semper hoc in ore ejus: *Scio non esse Docto-
rem ex Ueo qui sua sponte venit.*

§ 30. Ut autem, quomodo habeat Lutheri nostri Vo-
catio, dijudicari probè possit, sciendum in universo ejus
ministerio duo occurrere: Primum est accessus ad
Presbyterium ac ordinarium munus docendi: Alterum
accessus ad magnum istud reformationis opus. In utroq;
locum habere vocationem divinam, res ipsa edocebit.

B

§ 31. Et

§ 31. Et quidem qui priori, nempe Lutheri Presbyterio
divinam Vocationem suffurari laborant, pessima fide a-
gunt. Ecquis enim Ecclesie Pontificie jus Vocandi mini-
stros deneget nec hoc utinam humanis suis additionibus
deturpassent? At verò hæc more consueto ac ordinario
Lutherum Anno ætatis suæ 24. ad Presbyterium vocavit

(a) Tom: 2,
germ: fol.
279. & tom:
9. Witteb:
f. 104
(b) lib. 1.
manual,
Controv.
c. 22. f. ult.
(c) lib. 1.
ejusdem
manual: c.
12, n. 11.
(d) tom: 1.
Jen. fol. 37.

ordinavitq; per Episcopum Brandenburgensem anno 1507.
quo de ipsemet Lutherus (a) nec impetratam suam le-
gitimam vocationem deperdere postea potuit, dum à falsa
ad veram deflexit religionem, quod ex ipso Becano. (b) eli-
cimus contra Becanum (c) Anno subsequenti 1508. à Johan-
ne Staupitio Augustinianorum Generali autoritate jussu &
consensu Electoris Friderici (qui vi & jure officii sui non
modo civiles Prætores constituendi, sed & ceu Christianus
Magistratus Ecclesie ministros vocandi potestatem habu-
it) denominatus fuit Academiz V Vittenberg: Professor,
in cujus functionis collatione ipsi dictum: *visitum est le-
gem divinam interpretari & librum vite docere.* confer (d)

§ 32. Tandem anno, 1512. autoritate cæsarea & papali
urgentibus præpositis suis contra ipsam animi sui propen-
sionem Theologiae Doctor est creatus, quo ipso juxta

(e) Tom: 1.
Jen. in ex-
plicat. Psal.
82, fol. 16.
& Tom.
eodem in
glossa su-
per edictū
cæsareum
fol. 220.
(f) Tom: 2.
Jen germ.
p. 480. § Ich
habe noch
nie gepre-
diget. ac 16.
4. lat. Jen.
p. 3. § Deus
vocat.

tenorem statutorum academiæ accepit potestatem
contra quosvis *ἀλλοτρίους* ubicunque degant, verbi di-
vini veritatem viva voce & scriptis defendendi, vide de pro-
motione hac ipsum Lutherum gravissimè differentem (e)
Hæc omnia tam manifestè docent Lutherum per media-
tam ac ordinariam vocationem potestatem prædican-
di ac docendi publicè in Ecclesia Dei impetrasse, ut qui il-
lud non videat, hunc penitus oporteat esse cæcum. Qui-
bus constitutis Lutherus ad ministerium suum divinum re-
cte provocare, eoque se in adversitatibus erigere po-
tuit, (f)

§ 33. Con.



§ 33. Constat igitur quoad prius, nisi Lutheri presbyterium vocatione divina ordinaria: Quod vero posterius nempe reformationem attinet, nec illa divinæ vocationis expertus est. Paulo antea enim audivimus Ecclesiam pontificiam Luthero tribuisse facultatem cœlestis veritatis hostes confutandi. In actu licentiatus juraverat Lutherus verbis conceptis: *se veritatem evangelicam pro posse defensurum*: in actu doctorali autem in se receperat, *doctrinas vanas, peregrinas ab Ecclesia damnatas ac piarum aurium offensivas se non dogmatizaturum*. Quod si his verbis Lutherus, per quæ juramento obstrictus fuit ut sincerum Dei verbum doceret ac *inopodōzias* superstitionesque ex sacris literis redargueret reapse, ut par erat, post doctoratus sui promotionem vellet satisfacere non poterat non à Papæ erroribus vindicare Dei verbum, Non modo igitur tunc Papa Luthero licentiam dedit contra se publice disputandi, sed dum ad doctorale istud juramentum Theandrum nostrum adstrinxit, coegit simul ipsum papalia dogmata refutare adeoque sic Romanus Pontifex quantum vis inscius Lutherum quoad reformationem vocatione legitima contra semetipsum instruxit, unde doctoratum suum Lutherus, haud abs re tanti fecit, ut sæpe familiarius dixerit (a) *se doctoratum suum mundi opibus non commutaturum*. Con-
fer. (b) Nicol. Hunn.

§ 34. Sin adhuc quispiam divinum istud reformationis opus in dubium vocare velit, audiat regulam istam generalem: *Doctrina probat doctorem*. Quod si ea fuerit divina, divinum & à Deo missum Doctorem arguit. Et ut aliter fieri non potest, quin à Deo mittatur, qui puram fidem, pressam hætenus, in lucem iterum vindicat, ita nec fieri possibile est, ut Diaboli minister sit, aut ab eo missus, qui Diaboli regnum labefactat ac destruit, quod dum strenue

(a) Tom. 5. Jē in Epist. declanularis concionator. f. 113. § Ad habe es offe gesaget.
[b] In minister. Luther. demonstr. p. 47.



fecit reformans noster Lutherus, spiritu divino cum astum

[1] tom. 2.
Jen. germ.
p. 94 § 34
w. 19 woher
meine lehre
kommt. &
tom. 7 Jan.
germ. in e.
16. Joh. 6.
198. § Wir
haben diese
Predigt
nicht neu
gemacht.

fuisse pater. Vide de hoc apologiam Lutheri, [a]

§ 35. Quocirca ni incitata odia mentem prorsus excaecaf-
sent adversariis, ex sacra dogmatum Lutheranorum indole di-
vinam eorum originem facile agnoscerent. Sed quid in reliqui-
da, prater rem detinemur? loquitur ipsius rei ratio Lutheri vo-
cationsm non modo in se esse legitimam, sed & perfectiorem
ac longe meliorem vocatione cujuslibet Romani clerici, adeo
ut labili sua mole prorsus sint collapsuri multorum Religioso-
rum ordines, antequam vel nutare incipiat robur divinae vo-
cationis Lutheri.

§ 36. Tandem us verbo concludamus, dicimus: Lutherus
divina vocatione est electus ac constitutus Presbyter, ordinari-
us Professor Theologiae Doctor, imò etiam sincerus Ecclesiae
Dei Reformator, idque tantâ necessitate, ut in his aut Lu-
theri vocatio sit vera ac valida, aut totius Romanae Ecclesiae vo-
catio sit nulla.

Confer su-
pra thes.

§ 37. Caterum sicut haecenus legitima deprehensa fuit
Lutheri vocatio, ita non minus talis est vocatio reliquorum
ministeriorum Evangelicorum: Vocantur enim hi à singulis
Ecclesiae ordinibus ad normam divinae institutionis nec non
juxta apostolicam praxin: Unde non potest non pro ipsis
militare haec invicta veritas: Quicumque vocantur eo mo-
do quem Deus ipse instituit, Ecclesiaeque praescripsit, illorum
vocatio est divina. Atqui ministri protestantium Ecclesiarum
vocantur eò modo, quem Deus ipse instituit Ecclesiaeque praes-
scripsit. Ergò. De minore qui ambigit, spectet praxin in
Ecclesia nostra usitatam, conferatque cum forma electionis
apostolica quo de Nicol: Hannim [b]

(d) In mi-
nist. Luth.
demon-
strat: p. 139.

§ 38. Vapulant igitur Pontificij taxantes vocationes no-
strarum eò quod non fiant secundum normam juris Canonici.
Quaeso legitiment ipsi prius statutam normam suam, an-
tequam ex ea nos judicent. Nobis sane nullus unquam ali-
us eligendi modus probabitur, quam quem tenuit cum Apo-
stolis Ecclesia Apostolica, ut multi, antequam juris Cano-
nici sancita fierent, constituti sunt legitimi pastores ita & abs-
que

que jure canonico nostratibus constare potest sua vocatio legitima. Quia apud Lutheranos vox apostolorum sonat necesse est cathedræ apostolorum præsideant.

§ 39. Ex hoc jam colligi potest, quid argutiis suis efficiat Bellarminus [a] contendens pastores Lutheranos non esse veros, eò quod ab Episcopis non sint ordinati, sed saltim à presbyteris, scilicet: hæc merè vana sunt terreculamenta quia jure divino Episcopi nulla tenent in foro Ecclesiæ jura propria præ Presbyteris, sed lege tantùm humanâ.

(a) l. 1. de Clericis c. 3. § Sed quoniam

§ 40. Imo vero quod ab Episcopis non simus ordinati, culpa non in nobis sed hæret in adversariis, qui Protestantium ministros, utut caritatis & tranquillitatis causa ab ipsorum Episcopis ordinationem recipere voluissent, ordinare detestabant, nisi redirent prius ad Romanensem Ecclesiam quod salva conscientia ab ipsis prorsus fieri non poterat vide Apologiam August: Conf: [b]

(b) art. 14. de ord. Eccles. p. 204.

§ 41. Pontificiis igitur rennentibus, cum ipsorum causa Ecclesia Dei non esset deserenda nec ministris spolianda [ceumonent graviter articuli Smalkaldici.] oportuit nos à Theodoro nostro ordinari, qui ut vere ordinatus Pastor fuit, ita vere ac optime nos potuit ordinare Pastores. Quin posito Lutherum mortuum fuisse antequam alium inaugurasset quæquam rectius potuisset Ecclesia imo debuisset purum verbi Dei ministrum sibi eligere quam ut dedita mente rediret ad errores pristinos; cum enim Ecclesiæ jus vocandi primò competat, eccur in tantò necessitatis casu eo non utatur?

§ 42. Sed quid elevare præsumant Adversarii ministerium nostratum: Judices quivis æquus arbiter ac invicem conferat Vocationes Romanensium ac Lutheranorum, deprehendetque utra ex his mereatur præferri. Vocatio ac ordinatio Pontificiorum variis humanis commentis ut chrysmate caractere indelebili depravatur: nostratum verò ab his sordibus est repurgata. Lutherani ordinantur à viris, qui in Domini vineam vocati, pro capaci fragilitatis humanæ modulo, Ecclesiastica munia sua ritè obeunt; Romanenses verò ab his, qui us

B 9

(saltim



[a) Art. 10. saltem loquar articuloꝝ Smalkaldiorum [a) verbis] nec sunt, nec esse volunt veri Episcopi, sed Politici, Dynastæ & Principes, qui nec concionantur, nec baptizant, nec cœnam administrant, nec ullum opus Ecclesie præstant. Sed abjecto Presbyterii munere toti seculares facti mundo se attemperare studēt.

§ 43. Proinde si non modo nostra hic munimenta tueri, sed postquam hostes contra ea insultibus suis nihil efficere poterunt, ipsa adversantia castra attentare velimus, quam valida ipsi sint facile experiemur. Eamus cum Davide in collem Hachila & videamus quænam sint pontificiarum vocationum robora. Certè si quæ in Papatu præcipua maxime est, summâ Pontificis vocationem spectemus, eam ruinosam valde advertimus; nam solido sacrarum literarum fundamento non modo destituitur quæ talem ἀλλοτρίο ἐπισκοπίαυ nesciunt; sed perspicuis aliquot diebus impugnatur vid. Gerhard [b] & Himmell. (c)

[b] In Bellarm. orth. dox. teste disput. 6. & 7. & in dogmat. Papal. disp. 4.

(c) In Beccano enerv. disp. 6. de successu re Petri putativo.

(d) de rep. Ecclesiast. lib. 4. c. 1. num. 35. ad 14.

(e) Tom. 6. de ministr. Ecclesiæ. 10. § 130. & 135.

[f] Bouellier de la foy articl. 31. de la vacation des Pasteurs en Responce contre les objections d'Arnoeux.

§ 44. A Papâ si digrediamur ad Cardinales, vocatio ipsorum eodem habet modo. nam ut Cardinales proximum à Pontifice tenent dignitatis gradum ita ipsorum quoque vocationes proximè participant de natura indebitæ vocationis papalis, videatur Marc. Anton. de Domin. [d]

§ 45. Porro si deveniamus ad vocationes Episcoporum sacerdotum ac Presbyterorum censendæ quidem illæ quoad partem divinæ veniunt, nec tamen rectè omnino habent, includunt enim multa sacris literis adversa adeoque merito improbanda docente Gerardo (e) hinc perquam accommodatè

judicat Molinæus [f] La vocation des papes, se qualifiant chefs de l'Eglise universelle & la vocation des Cardinaux sont nulles & inventions humaines sans parole de Dieu; mais la vocation des Evêques & prestres y est corrupue.

§ 46. Tandem si nos demittamus ad Clericorum ac Religiosorum diversos ordines, quamdiu sacer codex ipsorum fundationes non probat tamdiu nec illas nos probare poterimus pro instituto igitur humano hos Religiosorum ordines habemus qui ut sunt hodie haud pauca scripturæ sacræ contraria tenent evolvatur Gerhard: (g)

§ 47. His

(g) In dogmat. papal. disp. 2. in primis thes. 19. & 20. item in Bellarm. ortho. dox. teste disp. 15. th. 1. & 2.



§ 47. His igitur ita habentibus recte concludimus verbis (a) In boni
Molinæ. Si l'Eglise Romaine n'a point de legitime vocation ^{dier de la}
pourquoy requiert elle en autrui ce qu' elle n'a point elle ^{foy la s.}
mesme. Unde desistant Adversarij per trabem oculi sui
(quod Hieronymi monitum est) festucam alterius eruere; era-
dicent vero prius trabem suam quam festucam in Ecclesiis no-
stris notare præsumant, quam non nisi gramiosis suis oculis
perperam vident: alias dignum in ipsos recidet illud Persii:
cadimus inq; vicem præbemus crura sagittis.

Interea Deus nos & omnes bonos Christianos conservet
in puro sancti sui verbi Ministerio,
Amen.

COROLLARIA.

I.

Gretzerus asserit. *Gradus sacerdotii imprimis in do-
gmatibilibem characterem. Quo fit ut quis sacerdos maneat,
quandiu character ille manet: Manet autem perpetuum:
Hic autem character semel erat Luthero impres-
sus. Frustra ergo *Beccanus* pronunciat Lutherum le-
gitima vocatione instructum fuisse ante defec-
tionem à papatu, post eam vero non item.*

II.

Disputant casuales an ordinatio atque investi-
tura à schismatico debeat recipi? Respon-
demus verò: Ut ut difficillime, potest tamen
salva ordinandorum conscientia pro differentia
temporum diversoque Ecclesiæ statu, modò in
se ordinatio vim non patiatur tolerari: Vide
*Artic. Smalkald. (a) & Augustanæ Confess. apo-
logiam. (b)*

(a) Art. 19;

(b) Art. 15.

Totus

III.

Totus ordinationis ritus salva ministerii integritate etiam hodie potest omitti ita ut non ordinatus Pastor pro vero ac perfecto pastore haberi mereatur, contingat enim ut obsideatur castellum in quo non nisi unicus pastor sit, trahaturque obsidio post mortem pastoris in longius vulneratorum ac aegrotantium causa necesse omnino est ut obsessorum communio vocet ac eligat quenquam alium quo vocatio eo usque valet ut persona vocata post eam jure divino aequè predicare & sacramenta administrare possit ac ille qui à Presbyterio rite est ordinatus Pastor.

IV.


PRO Luthero optime! facit conclusio Molinæi quam (a) infert: Si entre les mains d'un homme je pronçets à Dieu deux choses l'une sainte & juste, l'autre mauvaise & contre la parole de Dieu en gardant ce, que j'ay mal & témèrement promis car les promesses contre Dieu ne sont obligatoires. Pourtant tout le serment que font les Prestres Evesques d'obeir au pape est null.

(a) st. In
olypeo
Dei


F I N I S.







id q
emp
a, qu
e ma
F
nasci
defini
inde
tor,
. 13.
loqu
5 bar
mult
ni a
em F
nus, il
ius)
ratio
s, ac p
nibi
eraci
niner
hanc
ob a
seti
de pe
ndit
xcedi
ni, qu
sum p
quæ
quam
brur
fo co
ales
F



APHORISMI THEOLOGICI

DE

JURE VOCANDI
MINISTROS IN EC-
CLESIAM
DEI,

Nec non inspecie

De

Divino Divini Lutheri Ministerio

Reliquorumve succedentium Ministrorum
Evangelicorum:

*Contra vero de modernorum Romanensium vocatione
indebita partim, partim depravata*

Plurimum Reverendis DN. Pastoribus dilectisq; in Chri-
sto Confratribus in Diocesi Eglana

*ad amicam disquisitionem in proximè futuro collegiali
congressu dati ac exhibiti*

à

M. MATTHIA CLEFFELIO,

Substituto Pastore Egl.

&

CHRISTOPHORO HÜNERBEINIO,

Pastore minoris Alslebij.

Ad diem Junij

Anno 1670.

Quedlinburgi, Typis Johannis Oeckelii,